

DEO profecta & ad DEUM reducens intelligenda sit, etymi saltem ratio non svadet. Ex usu vero communi in sua acceptum amplitudine notabit. *Habitus Potentiæ rationalis docendi, confirmandi ac defendendi ea, quæ de DEO, ejus essentia, operibus, ac voluntate ipsi quomodocunque cognita existunt.*

§. II.

Dæmones
quid?

DÆMONES a δαίω luceo, ardeo, disco, vel a δαίμων scio dictos esse communissima est sententia, licet Eusebius (a) a δαίμων timeo vel terreo nuncupatos malit. Pythagoræa Philosophia, notante Hierocle, (b) humanas animas veritate & virtute exornatas appellat δαίμονας, ὡς δαίμονας καὶ ἐπισήμονας tanquam peritas & scientes. Alias profanis scriptoribus communissime notat medias inter DEUM & hominem naturas, gentibus religiose cultas, Deorum etiam nomine honoratas. Scripturæ vero usu nunquam nisi malignos notat Spiritus, genios apostatas, & angelos ob non servatam originem ad tartara detrusos. Unde recte Augustinus (c) per sanam doctrinam, inquit, quæ humanis rebus illuxit, omnes vel pene omnes demonum nomen exhorrent. Et sic fere penes Christianos scriptores veteres ac recentiores perinde est, dæmones an cacodæmones dicant. Apud nos, ait Eusebius, (d) nomina ista dæmonis & dæmonii semper male sonant, neque ullum bonum dæmonem nostræ dicunt Scripturæ. Uti Luc. XI, 24. 26. vero S. Scriptura ipsamet eos appellat Spiritus, ita nulla cogit necessitas, ut corpore ipsos quantumcunque tenuissimo, sive aëreo, sive æthereo, induamus, licet hoc, præter scriptores nonnullos recentiores, quamplurimi faciant antiquorum ecclesiæ Patrum. Diversa tamen dæmoniorum esse genera & ordines diversos, itidem ex sacro Codice manifestum est. Licet enim ejus distinctionis quam Proclus (e) assertit, quod quædam dæmonum genera sint λογικά μόνως quædam ἀλογα μόνως, quædam μεταξὺ τῶν, Scriptura fundamentum non suggerat: non ea tamen æque ignorat discrimen, quod Patres plerumque observant, inter Diabolum & dæmones, distinguens quippe †) diabolum & angelos ejus. Illum etiam ††) Beelzebub seu Beelzebub muscarum seu stercoris dominum, *) Satanam, **) Belial sive nequam, †) Deum hujus mundi, ††) Draconem: hos *) volucres cæli, **) im-

†) Matth.
XXV, 41.
††) c. X, 25.

***) im-